

bus, exceptio agnita est, qua plura beneficia Parochialia à lege concursus eximerentur, argumento dicti capituli 22. de elect. in 6. Adeo verum est, etiam ea, quæ in publicam utut gravissimam utilitatem eduntur, non semper singulis omnino placere, privataque studia modos invenire

etiam probabiles, quibus singularis utilitatis ratio habeatur, qualis est modus iste, qui adinvenitur, prætextu veterum legum, ac consuetudinum sanctissimè tuendarum, quousque expressè, & specialiter illis non adpareat derogatum.

CAPUT III.

De forma adsequendi beneficia electiva, vel optabilia, vel patronata.

Canonicatus, aut præbendæ Cathedralium, aut Collegiarum Ecclesiarum singularem aliquando Clericorum instituendorum formam postulaverunt; nimirum in nonnullis Ecclesiis receptum est, ut beneficia, quæ vacarent in Capitulo, vel Collegio, conferrentur iis, quos Capitulum, vel Collegium elegerit, cap. 3. 1. in fine de elect., Clement. 1. de præbend., in nonnullis etiam receptum est, ut vacantem præbendam, vel Canonicatum liceret uni ex Canonicis optare, à sua præbenda, vel titulo in vacantem præbendam, vel titulum transeundo, cap. 4. de consuetud. in 6. Singularibus his disciplinis invehendis occasionem potius dederunt consuetudines, aut statuta, præsertim Apostolica auctoritate confirmata, quam generale jus scriptum, quo inspecto neque electio, neque optio probatur, cum omnia beneficia tantum consentiente Capitulo debeant ab Ordinario conferri. Potissimum verò singularia illa electionum, aut opinionum jura inventa sunt, quo tempore aut iniri, aut restaurari inter Canonicos vita communis cœpit. Cum enim devotum esset ad ea sæcula, quibus Ecclesiarum Antistites, ac præsertim Pontifices Maximi ad avertendos abusos, qui clericalem disciplinam omnino labefactaverant, omnem sollicitudinem adhibuerunt, nihilque aptius esse duxerunt, quam si vitam communem inveherent, exemplo

Monachorum, quorum vitam omnibus facile erat imitationi proponenda; Clerici iidem ad vitam communem vocati, cum oneribus Monachorum, suæ vitæ monasticæ sibi viderentur subjacere, tum privilegia & jura Monachorum sibi facile vindicarunt. Quid enim adversus Canonicos objici poterat, cum ad jura Monachorum explicanda anhelarent, quando quotidie ad illos in officio continendos proponebatur tamquam exemplar vitæ monastica? Porro apud Monachos invaluerat ex eorumdem regulis; ut nemo ad monasterium admitteretur, nisi qui communi Monachorum suffragio electus esset. Idipsum & Canonici postulaverunt; proponebant enim & id constitutioni vitæ communis esse opportunum, proptereaquod is in familiam ea ratione advocaretur, qui esset omnibus gratus; aliàs autem nihil Episcopalis ordinis sibi vindicabant, quando jam tum disjungi cœperat collatio ordinum à collatione beneficiorum. Item invaluerat apud Monachos, ut cum unus ex ipsis decederet, cubacula, domus, vel prædiola, cubiculis, aut domibus adhærentia à defuncto possessa, seniori ex Monachis utenda cederent, si eisdem senior Monachus uti voluisset. Idipsum & Canonici sub eodem recto viventes sibi vindicaverunt. Hæc sunt jura vel electionis, vel optionis apud Canonicos inventa, quo primum tempore vitam commu-

munem, & pœnè monasticam iniverunt, quæ etiam superfuerunt eadem vita communi successione temporum dissoluta.

Ut de electione primum dicam, non æquali ratione in omnibus Ecclesiis recepta est. Alicubi enim invaluit, ut electione à Canonicis facta, Superioris, sive Episcopi confirmatio, atque institutio expectetur, quæ electionis species minus recedit à forma juris communis. Alicubi invaluit, ut sola electio titulum beneficiario tribuat, qui proinde statim ab electione secuta sine ulla Superioris institutione, aut confirmatione, canonicatus, seu præbendæ possessionem capere potest, atque in hac specie beneficia propriè electiva vocantur. Qualis autem debeat esse electio, ex moribus potius, aut ex statutis unicuique Collegio singularibus deduces, quam ex aliis causis: atque in dubio semper eò referenda res erit, quò, quoad minus fieri possit, lædatur jurisdictio Superioris, ac propterea Superioris ejusdem confirmatio, quæ locum institutionis teneat, nisi exclusa perspicuè adpareat, desideretur. Non immoror hinc diutius in tradendis electionum regulis, quas alio in loco opportunius expendi. Tantum dixero, in specie eligendorum Canonicorum non esse necessario servandam formam, quæ singulari jure in eligendis Prælati præstituta fuit à Concilio Lateranensi, cap. 41. 42. 43., & 44. de elect., sed sufficere, si Canonicorum more solito collegialiter, ut ajunt, congregatorum major pars suffragio suo Clericum quemquam idoneum, & dignum elegerit, ut statim electus jus in vacante beneficio nanciscatur, quin eligentibus detur facultas post hoc jus electo quæsitum ad novam electionem deveniendi. Singularia quædam induxit in hac re Bonifacius VIII., non quidem in beneficiis, quæ verè electiva sunt, & sola electione conferuntur, sed in beneficiis, in quibus post electionem à Col-

legiis factam adhuc requiritur Superioris confirmatio, uti legitur in cap. ult. de elect. in 6., ubi statutum est, ut, quoties electio, etiam si concordia, celebrata sit, non primum Superior electionem ratam habeat, ac confirmet, quam si proposuerit generale edictum, quo intra certum preemtorium tempus vocaverit eos, qui velint adversus electionem opponere ad allegandas, probandasque in judicio exceptiones; imò, si constet coelectum quemquam alterum esse, vel singularem esse contradictorem, etiam istos speciali citatione in judicium vocet, causas allegaturos, ac probaturos, ob quas electio non sit confirmanda: quòd si non actum fuerit, confirmatio ipsa unà cum subsequuta institutione nullius sit momenti.

In optione, quoties ex statutis, vel moribus certarum Ecclesiarum locum habeat, plura observantur. In primis obtinet, ut vacante beneficio collegiali, sive Canonicatus sit, sive præbendæ, Canonicus antiquior possit illud optare, dummodò voluntatem suam declarat intra tempus statuto definitum, vel, si nullum expressum sit tempus in statuto intra viginti dies, qua non declarata, locus gradatim fiat optantibus junioribus, ita ut qui senior optaverit, statim ex eo, titulum, aut præbendam obtinuisse videatur, quin opus habeat institutione. Deinde observandum est, non unum esse in omnibus Ecclesiis optionum genus. Sunt enim aliquæ Ecclesiæ, in quibus determinatus est quidem numerus Canonicorum, & Canonicatum, discretis singulorum officiis, juribus, titulis, & oneribus, non verò determinata sunt ex. gr. prædia præbendalia, sive urbana, sive rustica, jura decimarum, & similia; ita ut non eadem eundem semper Canonicatum sequantur, sed modò uni, modò alteri Canonicatui juxta singularem Canonicorum electionem adhæreant. Sunt aliæ Ecclesiæ, in quibus sicut beneficia ipsa, ac tituli, ita & redditus omnes beneficiarii invicem discre-

ti sunt, & redditus semel uni beneficio, sive titulo adsignati inseparabiliter beneficium, seu titulum sequuntur, cuiusque beneficium seu titulus conferatur. Sunt insuper alia Ecclesiarum, in quibus præter titulum, & præbendam, etiam extant jura habitationum, jura sane residua ex vitæ communis consuetudine, quæ Canonici in uno domicilio consistere. Modò enim domicilium ipsum ita distributum est inter Canonicos, ut unusquisque partem ædificii possideat, modò ut quibusdam adhuc portio ædificii concedatur, non universis; sive portio ædificii separabilis sit à titulo, vel à præbenda, sive portio ædificii perpetuò, & inseparabiliter conjuncta sit titulo, vel præbendæ. Hinc fit, ut tria possint in optionem venire, videlicet titulus, præbenda, & habitatio. Qua in re observandum est, ubi hæc omnia inseparabiliter unita sint, non posse unum optari, nisi & alterum optetur, ne unio semel legitime, & perpetuò facta, ex voluntate optantium singulari dissolvatur. At optari poterit unum sine altero, quoties non perpetuò, & inseparabiliter hæc unita fuerint, adeo ut in hac specie admittatur optio præbendæ retento prioris titulo; vel admittatur optio habitationis retento prioris titulo, vel præbenda. Hæc optandi disciplina, quæ in Collegiis Canonorum vigere cœpit à pluribus sæculis, traducta etiam fuit ad Collegium Cardinalium, ita ut isti valeant titulos Cardinalatus adnexos identidem pro modo vacationis optare. De qua re late scripsit Rigantius in commentario ad regulam. 8. Cancellariæ §. 2., ubi multa traduntur, sive de hujus optionis origine, sive de modo, & forma optandi, quæ sanè non uniformis semper fuit, sed variis Pontificum constitutionibus, atque indultis obnoxia.

Quibus in Collegiis recepta sunt jura electionum, vel optionum, eadem certis in casibus locum habere desinunt. Quæsitum in primis aliquando fuit, utrum seu electioni, seu optioni obstet

Pontificia reservatio? Olim ante inductas generales reservationes vigeat, ut si quis mandatum de providendo à Summo Pontifice impetrasset in Ecclesia, in qua esset jus apud seniores Canonicos optandi, posset quidem obtinere non beneficium primò vacans, sed illud, quod erat ab optantibus postremò dimissum, dicto cap. 4. de consuet. in 6. Ex quo liquet, ex mandato de providendo, necessariò Clericum fuisse instituendum in Ecclesia, sublata quidem aut Ordinarii collatione, si ad Ordinarium collatio pertineret, aut electione Capituli, si hæc Capitulo competere; incolumi tamen manente optandi facultate. Locum habere poterat optio, propterea quod facta optione adhuc executioni mandari valebat Pontificum mandatum in Canonatu ab optante dimisso. Non poterat habere locum Ordinarii collatio, ubi ad Ordinarium pertineret, quia Ordinarium potestas erat mandato circumscripta, & regula est, singularia generalibus derogare. Neque etiam poterat locum habere electio Capituli; quamquam enim hæc singulari jure inniteretur, hoc tamen jus singulare Pontificio mandato prævalere non poterat. Siquidem jus singulare Canonorum quodammodo ordinarium redditum erat; at Pontificum mandatum præterquamquod singulare esset, extraordinarium, & singularibus omninò causis innixum; & regula est, singularia extra ordinem edita, ordinariis juribus utut specialibus derogare. At post inductas generales reservationis aliis principiis digerenda res est. Reverà si sepositis Pragmaticorum traditionibus arbitrari quis velit, facile intelliget, per easdem generales reservationes non esse diminuta jura Capitulum, sive in electionibus, sive in optionibus, nisi istis adpareat in reservatoriis constitutionibus expressè derogatum. Ecquidem in reservatoriis constitutionibus non opus erat, ut specialiter juri Ordinarium derogaretur, eò enim suapte natura reservatio tendit.

At

At cum jura Capitulum sive in electionibus, sive in optionibus singularia essent, ad hæc auferenda speciali opus erat derogatione. Si de optione loquamur, statim ac scimus, eam nec tunc cessavisse quidem, cum exhiberetur mandatum de providendo utut extraordinarium, dicto cap. 4. de consuetud. in 6., percipimus, nec cessare potiore jure, cum concurrat reservatio generalis, quæ dici nequit extraordinaria ne majorem vim ordinariæ, quam extraordinariæ providentiæ tribuamus. Quòd si loquamur de electione, cum & ipsa singulari jure innitatur, sublata non censetur alio jure singulari superveniente, nisi in hoc specialiter declaratum fuerit, cessare debere. Planè in nonnullis Cancellariæ regulis expressè cautum fuit, ut cum reservatio locum habet, tunc aut electio, aut optio cesset. Sed ob hanc ipsam causam concludendum est, adhuc fieri electioni, aut optioni locum in aliis reservationum speciebus, in quibus non similiter expressè fuerit aut electio, aut optio sublata. Hinc etiam si in quibusdam regulis reservatoriis sublata fuerint expressè jura præsentationum, non nominationum, non tamen inde sublata intelligentur jura electionum, aut optionum; cum aliud sit præsentare, vel nominare, aliud eligere, vel optare. Hinc in extravag. 13. de præbend. int. com. renovata in regula 1. Cancellariæ, qua in parte Sedi Apostolicæ reservantur beneficia vacantia in Curia ob promotionem ad Episcopatus, aliasve Prælaturas, expressè dicitur, locum habere reservationem, *etiam si ad illa beneficia persona consueverint, & debuerint per electionem, vel alium quemvis modum assumi.* Electio quoque exclusa fuit in regula 9. Cancellariæ, ubi reservata sunt beneficia certis anni mensibus vacantia; imò & expressè exclusa fuit optio, adeo ut specialius cæteris ea reservatio in hac regula ad omnes etiam excludendas & electiones, & optiones extendatur.

Præterea cessabit optio, aut electio, quoties Canonicus in Romana Curia Canonatum resignat alterius gratia; aut coadjutorem perpetuum recipit Pontificis Maximi auctoritate cum jure futuræ successionis. Uti enim Pontificiæ istæ provisiones & sunt singulares, & extraordinariæ, ita prævalent juri elegendi, vel optandi Canonici competenti, quod licet singulare sit, ordinarium tamen habetur. Hæc tamen ita intelligenda sunt, ut cesset optio tituli vacantis unà cum optione jurium, quæ inseparabiliter titulo coherent, non verò cesset optio rerum, aut jurium, quæ cedens, aut defunctus Canonicus possidebat, quin titulo ex vi institutionis coherent, sed modò uni, modò alteri Canonico addici consueverunt, quemadmodum solet præsertim contingere in jure habitationis, & similibus. Hæc quoque distinctio recipienda erit, quoties quærat, utrum ad optandum etiam admittendi sint Canonici, qui beneficia possident juripatronatus alicujus obnoxia. Etenim dubitandum non est, Canonicum à patrono præsentatum alios vacantem Canonicum optare non posse, ne detur occasio patrono indirectè præsentandi etiam ad alia beneficia non patronata, neve etiam patronus aliàs privetur jure præsentandi ad beneficium dimissum, quoties alter Canonicus ad istud optandum admitteretur. Nihil tamen prohibebit, quominus Canonicus possidens beneficium patronatum possit retento titulo suo devenire ad aliqua jura optanda, quæ vita functo Canonico competebant, ea nimirum, quæ vacanti Canonico non erant inseparabiliter adnexa, sed tantum generaliter Canonicis, modò uni, modò alteri concedi sine discrimine consueverunt.

Vix aliquid singulare notandum esset in forma collationis beneficiorum patronalium, nisi quædam Interpretum placitis invaluisse, aut recens à Tridentino Concilio constituta proponerentur.

Hh 2 tur.

tur. Ex Interpretum placitis invaluit; ut, quod Bonifacius VIII. constituit in beneficiis electivis in cap. ult. de elect. in 6., traduceretur ad beneficia patronata, de quibus tamen altum est apud Bonifacium silentium. Hinc hodie cum à patrono certus Clericus præsentatur, antequam ad institutionem procedatur, proponi debent edicta, quibus aut generaliter, aut etiam specialiter, si appareat quemquam esse specialem contradicentem, citentur, quotquot certum jus in eo beneficio, vel patronatu sibi possint asserere, vindicare; adeo ut institutio sine ejus edicti editione facta irrita pœnitens habeatur, quemadmodum è converso proposito edicto, & nemine intra peremptorium terminum comparante, valeat institutio inde secuta, nec retractetur, etiam si post institutionem quis se sistat, allegans, sibi bonas esse contradicendi causas. Hæc Interpretum traditio, licet jure scripto destituatur, æquitate tamen innitur; & cum generali Ecclesiarum usu sit com-

probata, scrupulosè nimis ageret, qui eandem negligeret eo prætextu, quod formam lege expressa non acceperit. A Tridentino Concilio constitutum est id cap. 13. sess. 7. de Reform., ut quicumque præsentati, electi, vel nominati, à quibusvis Ecclesiasticis personis non instituuntur, nec confirmantur, neque admittantur, nisi fuerint à locorum Ordinariis examinati, & idonei reperti, exceptis iis, quos Universitates, seu generalia studiorum Collegia præsentant, eligunt, seu nominant. Hæc examinis forma in patronatu laico locum generaliter non habet: tantum datur facultas Ordinario, sive Episcopo, præsentatum repellendi, si idoneus non sit. Exceptio tamen est in ea specie, in qua institutio pertineat ad Prælatum Episcopo inferiorem, tunc enim præsentatus erit ab Episcopo examinandus, alioquin facta institutio irrita, & inanis habebitur, cap. 9. vers. *Ad hæc*, sess. 25. de Ref.

CAPUT IV.

De forma collationum, quæ fiunt apud Sedem Apostolicam.

Quæcumque fiat in Romana Curia beneficiorum collatio, tribus modis perfici solet. Primus admodum infrequens, & nonnisi in collationibus factis gratia sublimium Principum, aliorumve, quibus extra ordinem Pontifex Maximus beneficium concedit, locum habens, expeditur per breve Apostolicum speciale. Secundus est, qui perficitur in Romana Cancellaria, atque obtinet in beneficiis consistorialibus, quoties nulla potest in conferendo difficultas emergere, aut dubitatio. Tertius demùm est, qui explicatur per Datariam, & locum habet in omnibus beneficiis non consistorialibus, imò etiam in consistorialibus, ubi horum

collatio non habeat per se paratam executionem, sed aliquibus difficultatibus, puta dispensationum, reddatur obnoxia. De primo modo, utpotè extraordinario, nihil in præsentia dicam: tantum de secundo, & tertio, quorum discrimina, quum oriantur ex qualitate consistorialis, vel non consistorialis beneficii, erunt animadvertenda, postquam paucis exposuerim, quænam propriè consistorialia, quænam verò non consistorialia beneficia appellentur.

Nomen ipsum consistorialium beneficiorum per se indicat, ea propriè dici beneficia consistorialia, quorum provisio fit in consistorio Pontificis Maximi. Apud Romanos veteres appella-

batur consistorium locus ille amplissimus, in quem apud Imperatorem conveniebant Primates, Proceres, virique honoratiores, l. 3. cod. de offic. divers. jud., l. 12. cod. de pœnis, juncta inscriptione legis 2. cod. de excusat. mun. Hodie in Urbe Romana consistorium dicitur locus, in quem solemnè ritu conveniunt apud Pontificem Maximum Cardinales in urbe degentes. Duplex autem esse solet, nimirum solemnè, ad quod præter Cardinales etiam alii Prælati honoratiores, item Principum oratores, ministri, ac magistratus admittuntur; & ordinarium, quod & secretum dicitur, ad quod tantum accedunt selecti ex Cardinalibus. Pendet hæc congregatio ex arbitrio Pontificis, fitque plerumque bis singulis mensibus, ad quam Cardinales maximè solemnè conveniunt, qua in re Pragmatici testificantur, Romanæ Ecclesiæ majestatem elegantissimè adparere. Nihil planè contentiosum hodie in hoc conventu fieri solet, tantum quod spectat singulares gratias, ac politica graviora negotia. Itaque in hoc consistorio conferuntur, præter Cardinalitatis dignitates, etiam Patriarchales, Metropolitanæ, & quæcumque Episcopales Ecclesiæ. Accesserunt istis monasteria virorum titulo perpetuo concedenda, quorum redditus annuos ducentos florenos excedit, præsertim ubi Abbatia, aut Prioratui jurisdictio quasi Episcopalis adhæreat. In electione Episcoporum duo fieri solent consistoria, in quorum primo fit præconizatio, qua scilicet proponitur Episcopi electi persona, resolutione dilata in aliud consistorium, in quo Cardinalium convenientium suffragia colliguntur, post quæ ad confirmationis litteras devenitur, atque hac ratione vestigium quoddam superest vetustæ disciplinæ, juxta quam Episcopi ut plurimum in Synodis, seu in Clericorum conventu solemnè eligebantur. Porro cum memorata majora beneficia vacant, qui jus habent nomi-

nandi, vel eligendi, postquam sui suffragia in consistorio palam fecerint, servatis, vel quæ in Concilio Tridentino sess. 24. de Ref. cap. 1. statuta sunt, vel quæ singularibus variarum provinciarum usibus conveniunt, confirmationem electionis, seu nominationis expectant, quæ confirmatio fieri solet perpensis in consistorio electi qualitatibus, ita ut aliquando plures dies ad inquirendum Cardinalibus concedantur, habitaque tandem matura deliberatione, omnia per schedulam conficiantur, quæ dicuntur litteræ confirmationis. Non est tamen novum, aliqua monasteria, quæ suapte natura consistorialia sunt, non conferri in consistorio, sed potius in Dataria, quorum disciplinam, & discrimina ex usu potius Curia, quam ex scripta, statutaque lege disceremus. Quamobrem apud Romanos Pragmaticos etiam consistorialia monasteria habentur, quæ conceduntur in Dataria, & extra consistorium, dummodo in libris Camera Apostolicæ taxata reperiantur; proptereaque in iis concedendis adjici solet clausula, qua exprimitur, valere collationem, *perinde ac si consistorialiter facta fuisset.*

Quæ beneficia consistorialia non sunt, conferri solent per Apostolicam Datariam, non tamen omnia eadem ratione; nam aliqua conceduntur per simplicem supplicationis, ut vocant, signaturam; alia verò præter signaturam etiam postulant Pontificiam Bullam, sive litteras, à quibus pendet serico filo adsuta bulla plumbea, quæ hinc nomen concedentis Pontificis, illinc imagines Apostolorum Petri, & Pauli exhibet. Per simplicem signaturam, seu sine bulla, conceduntur beneficia simplicia, vel Pontifici Maximo reservata, vel devoluta, quorum annui redditus non excedunt ducatos duos cum dimidio auri de camera, secus tamen, si extra ordinem concedantur, ex. gr., quæ sint juris patronatus lai-

corum, & à Papa impetrentur cum derogatione, ut ajunt, medietatis vocum, aut si conferantur per subrogationem colliganti factam; his enim, aut similibus in casibus expediri solent litteræ plumbea bulla firmatæ. Præterea si agatur de beneficiis Canonicalibus, aut dignitatibus residentiam exposcentibus, solent etiam ista conferri per simplicem signaturam sine bulla plumbea, quoties eorum redditus non excedant sex ducatos auri de camera; quemadmodum etiam Parochialia beneficia, quæ non excedunt duodecim. Quæ tamen disciplina intra fines Italiæ, aut Insularum adjacentium ferè continetur; nam extra Italiam, memoratasque Insulas bullæ plumbeæ ferè ubique solent in quorumcumque beneficiorum collationibus Pontificiis expediri.

Ut isthæc disciplina perspicuè tradatur, non inutile est, quædam de signatura observare. Hujus nomine Pragmatici intelligunt scripturam quandam, quæ continet duplicem partem; nimirum in priore preces Clerici beneficium à Pontifice petentis, & in posteriore rescriptum ejusdem Pontificis. Hinc sanè liquet, Romanos Antistites regulariter non solere beneficia, nisi petentibus, concedere; imò & beneficia à Sede Apostolica impetrata in dubio semper præsumi petenti Clerico concessa, nec aliter præsumptionem cessare, quam si expressè constet ex litteris collationis, motu proprio Pontificem collationem fecisse, cap. 23. de præbend. in 6., qua adhuc in re animadvertere juvat, parum hodie ad id probandum valere clausulam *motu proprio*, utpotè quæ ex stylo potius Curia, quam ex rei gestæ veritate solet in omnibus concessionum Pontificiarum litteris adjici. In supplici libello exhibendo non tantum petentis nomen exprimendum est, sed etiam nomen dioceseos tum petentis ejusdem, tum beneficii, quod petitur, item exprimenda erit beneficii qualitas, an ex. gr. Parochia-

le sit, an Canonicatum, vel dignitatem adnexam habeat, an juripatronatus seu laicorum, seu Clericorum subiaceat; item exprimenda reddituum quantitas, quæ ex beneficio percipi solet, uti deduci commodè potest ex regulis 20. 50. & 57. Cancellariæ. Præterea exprimendum erit, petentem aliam jam possidere beneficia, si fortè possideat, aliàs rescriptum nullius erit momenti, dicto cap. 23. de præb. in 6. Quoties supplici libello gratia Pontificis respondet, solet idem Pontifex hac formula uti, rescribendo *fiat, ut petitur*, vel, si alius Pontificis nomine subscribat, *concessum, ut petitur, in præsentia Domini Nostri Papa*, ex qua subscriptione signatura nomen accepit, quasi scriptura signata, sive subscripta. Inter utramque subscriptionis formulam hoc discrimen intercedit, ut si fortè concurrant eodem die plures ad idem beneficium, & omnes obtinuerint, præferatur ille, qui obtinuit per formulam *fiat*, alteri, qui obtinuit per formulam *concessum*, etiam si formula *concessum* clausulam adnexam habeat *motu proprio*, vel etiam alias clausulas prægnantiores, & quantumlibet privilegiatas, quemadmodum constitutum adparet in regula 34. Cancellariæ. Cæterum si plures eadem formula conceptum rescriptum obtinuerint eodem die, ex regula 17. Cancellariæ, præferuntur in primis, qui rescriptum cum clausula *motu proprio* impetraverunt; aliàs graduati non graduatis, aut inter æqualiter graduatos prius graduati; necnon colorato titulo possessores non possessoribus; ac inter alias personas, in Curia præsentibus absentibus ab ea, atque inter præsentibus non beneficiatis beneficiatis; & similiter inter absentes, cæteris paribus, oriundus non oriundo, diocesanus non diocetano, in reliquis verò singuli, qui prius Apostolicas litteras executoribus præsentaverint. Hæc ratio est, quare in regula 16. Cancellariæ

lariæ cautum fuit, ut notæ temporum numerales debeant per extensum in rescriptis Pontificiis adponi ad evitandas contentiones, quæ ex numeris brevioribus aliàs adpositis emergere possent. Post confectam signaturam per memorata verba, quibus gratia Pontificis exprimitur, succedunt in eadem charta formulæ, quæ in litteris expediendis ex voluntate Pontificis sunt exprimendæ, qualis est inter cæteras absolutio à censuris ad effectum beneficii impetrandi, item protestatio Papæ, qua per concessionem illam declarat, se nolle derogare juri jam alteri fortè quæsito, quod in regula Cancellariæ 18. generaliter propositum legimus, & similes. His apud Pontificem peractis, licet concessio beneficii facta dicatur, adhuc tamen nemini suffragabitur, nisi litteræ conficiantur, ante quas gratia Apostolica dicitur adhuc informis, juxta regulam 27. Cancellariæ, cui addi possunt 31. & 52. In litteris autem conficiendis, quæ paucis à Pontifice concedente per signaturam perstricta fuerunt, latiore stylo explicantur, plumbeoque sigillo juxta ea, quæ superius adnotata sunt, firmantur, unde litteræ bullarum nomen multis jam ab hinc sæculis acceperunt.

Non est omittenda hoc in loco quarundam formularum observatio, quarum aliquæ olim tantum viguerunt, cum in usu essent mandata de providendo, aliquæ etiam hodie locum obtinent, appellanturque universæ his nominibus, vel *in forma pauperum*, sive *cum secundum Apostolum*, seu *in forma communis*; vel *in forma dignitatis*, seu *in forma dignum*; vel *in forma gratiosa*, vel *rationi congruit*, vel *perinde valere*, vel *perinde etiam valere*; vel *in forma nova provisionis*, vel denique *si neurri*, aut *si nulli*, aut *si alteri*.

Forma, quæ dicitur *pauperum*, sive *communis*, sive *cum secundum Apostolum*, eadem omninò est, atque originem habuit ab Innocentio III. in cap. 16. de

præbend., quod cum his verbis incipiat *cum secundum Apostolum*, ideo formulæ nomen dedit. Adhiberi ista consuevit, quoties Clericus ab Episcopo sine ullo, aut sine sufficienti patrimonii titulo ordinatus, non habet, unde necessaria vitæ subsidia percipiat, cui propterea Romanus Pontifex beneficium aut concedit, aut concedendum mandat, atque hinc dicta etiam est *forma pauperum*, quia pauperibus Clericis ea ratione consulitur; aut etiam *forma communis*, quod Clericis indigentibus ea ratione concessum juri communi maximè consentaneum videtur, dicto cap. 16. cap. 27. de rescript., cap. 13. de æt. & qualit. præficiend.

In forma dignitatis, seu *in forma dignum* data litteræ dicuntur, quoties Pontifex Maximus scribit ad locorum Ordinarios, vel ad executores à se constitutos, mandans, ut Clerico aut ob nobilitatem generis, aut ob insignem litterarum peritiam, vel ob singularem vitæ integritatem, vel ob certa in Ecclesiam merita beneficium conferatur; appellanturque litteræ *in forma dignum*, quia priora litterarum verba hæc describi solent: *Dignum arbitramur* &c. Olim dum vigerent mandata de providendo, mitti hujusmodi litteræ solebant ad Ordinarios, collaturos beneficium, quod ad suam collationem liberè pertinebat. Hodie diriguntur ad executores Apostolicum ad id specialiter designatum, qui esse solet vir in dignitate ecclesiastica constitutus. Ut plurimum verò is, qui auctoritate Pontificia collaturus est beneficium *in forma dignum*, non dicitur merus gratiæ Pontificiæ executor, qui scilicet sine cognitione causæ beneficium conferat, sed executor, uti vocant, mixtus, qui scilicet cognoscat de causa, seu de meritis Clerici, an ista talia sint, qualia in litteris Pontificiis enunciantur; & tum demum ad beneficii collationem deveniat, cum satis menti Pontificis factum animadverterit. Quòd si aliquando nulla habenda sit

causæ cognitio, tunc erit rescriptum *in forma gratiosa*, & executor Apostolicus non mixtus, sed merus dicetur, à quo propterea non propria beneficii collatio, sed potius in possessionem missio postulabitur. An verò cognitio causæ mandata fuerit, necne, ex verbis, & clausulis Pontificiarum litterarum deduces, ut ex. gr. cognitio causæ mandata intelligatur, quoties certæ fuerint in litteris conditiones adjectæ, veluti, *si vera sunt exposita &c.*, *constitit &c.*, *si idoneum esse repereris &c.*

Forma *rationi congruit*, ita dicta ex prioribus litterarum Pontificiarum verbis, locum habet, quoties quis jam obtinuit beneficium per simplicem signaturam Pontificis, mortuo inde Pontifice, antequam litteræ expedirentur; tunc enim successor Pontifex omnia mandat expediri nova concessione, profitens, rationi congruere, ut ea, quæ à prædecessore suo prodierunt, suum sortiantur effectum; quod quidem in Romana Curia sine difficultate expediri solet, dummodo impetratores intra semestre tempus expediendum petant, uti habetur in regula 10. Cancellariæ, eadem ratione, qua juxta regulam 12. si quis rescriptum obtinisset, cujus vi instituendus esset in beneficio ab executeore Pontificio, si ante executionem rescripti Romanus Pontifex infra annum moreretur, ita litteræ à successore Pontifice confirmantur, ut quodammodo reviviscere intelligantur. Qua in re observandum est, regulam hanc 12. Cancellariæ distinctam esse à regula 10., in qua disciplina traditur formulæ *ratione congruit* in eo, quod formula *rationi congruit* tunc locum habet, cum simplex à prædecessore signatura manaverit; at regula 12. locum habet tunc, cum præter signaturam etiam litteræ editæ fuerint à prædecessore. Insuper observandum est, regulam 12. necessariam fuisse, ubi ageretur de mixto executeore, qui scilicet delegatus fuerit æquè ad cognoscendam

causam, ac ad conferendum causam cognita beneficium; non verò necessariam, sed tantum ex abundantia, ut ajunt, utilem, quoties ageretur de mero executeore. Etenim morte Pontificis effectu quidem carere arbitror litteras mixti executoris, non meri, quemadmodum intelligere possumus ex cap. 9. de offic. & pot. jud. del. in 6., collato cum cap. 36. de præbend. in 6., quorum primum de mero, alterum de mixto executeore intelligendum nemo non arbitrabitur, ne Bonifacius VIII. sibimetipsi in eadem specie adversatus fuisse videatur.

Hinc facile intelligitur, formam *rationi congruit* appellari etiam jure posse *formam novæ provisionis*, quatenus nova successoris Pontificis provisio obtinendo beneficio accedit. Sed ad formam novæ provisionis alia quoque pertinent mandatorum genera, quæ appellantur, vel *perinde valere*, vel *perinde etiam valere*. Quandocumque enim in collatione beneficii in certa re peccatum adparet, unde collatio ipsa quoque possit modò impediri, tunc novæ litteræ impetrantur, quibus omnia impedimenta tollantur, quæ nova provisio rectè appellatur; nam ista non retrotrahitur ad tempus primæ collationis. Hinc si quis Clericus medio tempore inter primam collationem, & novam provisionem beneficium impetraret, iste excluderet eum, qui novam impetrasset provisionem, nisi qui novam provisionem impetravit, allegaret, se impetrasse tantum ad cautelam, uti vocant, paratusque esset ad demonstrandum, primam collationem omninò valere. Qua in re patet, formulam novæ provisionis non revocare primam collationem, se jura juribus accumulare. Excipe tamen casum, qua nova provisio sit petita, quoties primam Summus Pontifex revocaverit; nam tunc solum secunda collatio attenditur, quin respiciatur ad primam, & hæc propriè appellatur forma *perinde etiam valere* ex ordinario Curie stylo.

Huc

Huc pertinet regula 44. Cancellariæ, qua statuitur, ut si preces beneficia petentium tantum signatæ fuerint, nondum tamen confectæ litteræ Pontificiæ, quo sanè in casu nulla nova provisio cum forma *perinde valere* necessaria est, & error obrepserit in signatura, iste quidem reformari possit, non tamen sub priorè data, ut loquuntur, si ex hujusmodi expeditione cuiquam videatur fieri posse præjudicium, nisi reformationes hujusmodi per formulam *fiat* sub prima data signatæ fuerint.

Quum Pontifices Maximi profiteantur, se in concessionibus beneficiorum non tollere jus alteri quæsitum, quemadmodum habetur in regula 18. Cancellariæ; quoties contingat beneficii possessionem litigiosam esse, nemini solent illud jus concedere, nisi adjectis conditionibus *si nullis*, vel *si neutri*, vel *si non alteri* jus acquisitum fuerit. Condicio *si nulli* adjicitur litteris, ubi extraneus petit beneficium tribus, aut etiam pluribus de beneficio contendentibus, sicut condicio *si neutri* adjicitur litteris, ubi duo tantum sunt collitigantes; at condicio *si alteri* adjicitur litteris ab uno ex duobus collitigantibus impetratis, ut si alter nullum jus quæsitum habere dignoscitur, superstes in lite beneficium nanciscatur.

Ex quibuscumque litteris Pontificiarum collationum constitui à Pontifice solent executores, modò mixti, qui & iudices appellantur, modò meri, qui voluntatem Pontificis jam perfectam exe-

quantur. Ad executores mixtos pertinet, quod statuitur in regula 48. Cancellariæ, nimirum mandatur ibidem, ut, cum iudex post signaturam per litteras, seu bullas designatur, tunc litteræ ita expediantur, ut exprimat, iudicem per seipsum executionem facere oportere. Id passim usuvenit, cum litteræ expediuntur in forma *dignum*, quæ etiam *commissoria* dicitur, quæ litteræ unicæ sunt, & diriguntur ad Ordinarium. Quòd si litteræ expediuntur in forma *gratiosa*, duæ tunc expediuntur litteræ, quarum una actum continet collationis beneficii à Pontifice Maximo factæ, & ad beneficiarium dirigitur, altera dirigitur ad executores numero tres, ut unus ex ipsis beneficiarium postulantem vel per se, vel per alium in possessionem immittat. Consultò hinc omitto plurima, quæ de executoribus tradi possent, utpotè quæ latius expendi in tractatione de potioribus Ecclesiæ dignitatibus, cum de iis agerem, qui ex mandato Pontificis Maximi Pontificiam ipsam jurisdictionem extra Romanam Curiam exercent. Tantum hoc in loco adjiciam, receptum esse, ut executores Apostolici valeant mandatum exequi Pontificium, etiam si illud Ordinario, in cujus diocesi agunt, minimè exhibeant; neque enim Pragmaticis placuit ad hanc mandatorum speciem extendere, quod de dispensationibus Pontificiis gratiosè concessis statutum fuit in Concilio Tridentino sess. 22. de Ref. cap. 5.